

AGNELLI
VITA
S A N C T I D A T H I .
C A P U T U N I C U M .

Sancti Dathi pietas, & obitus.

D E S A N C T O D A T H O .

Datus VII. Hic namque Vir religiosus, & nimis pius, vigilansque fuit nocturnis orationibus, atque præcipius animum adquisitor, hominum, ac gentis crebro Prædicator, & velut speculum. clarius vultus super cunctos emicuit, nam quando is ad gratiam supernam vocatus est, sancta ipsius anima à corpore cessit. Et, ut afferunt quidam, in Ecclesia B. Probi sepultus est. Sed autem annos..... mens..... dies....

OBSERVATIONES

AD VITAM

S A N C T I D A T H I .

S. Dathi ætas incerta.

Rubeus Probum floruisse dicit M. Agnelli Aurelii Antonini temporibus, Pontificatu Pii, Aniceti, Soteris, ac Eleutherii ad annum ab ortu Christi circiter CLXXV. Dathum vero, novem annos cum administravisset Ecclesiam, obisse quinto Nonas Quintiles. Fabrus rem certius definens, Probum defunctum dicit anno CLXXV, Dathum autem, assignatis à Rubeo Pontificatus annis novem, anno CLXXV. Utterque id afferit nullo teste, nullaque ratione exhibita.

VITA
S A N C T I L I B E R I I .
C A P U T U N I C U M .

S. Liberii pietas, sapientia, obitus.

D E S A N C T O L I B E R I O .

Liberius VIII. Magnus homo charitate plenus, irriguus fons, fide præcipiens, mente benignus, suis temporibus Ecclesiam omni honore adauxit. Immensa humilitate propria vita animam custodivit, omnique philosophia tenuit principatum. Post hac autem obiit, & sepultus est, sicut quidam suspicantur, cum Prædecessore suo. Sedit autem annos..... mens..... dies.....

OBSERVATIONES

AD VITAM

S A N C T I L I B E R I I .

Liberii philosophia quæ? Subsequentium duorum Episcoporum Vitæ observatae in precedentí dissertatione.

Agnellus de S. Liborio ait, eundem philosophia tenuisse principatum. Rubeus inde sibi afferendum creditit, hunc Episcopum Philosophum maximum, Græcè, latinèque doctissimum. Cetera, quæ tun de hoc, cùm de sequentibus duobus Episcopis observanda erant, dicta sunt in precedentí dissertatione Historico-Chronologica, quæ proinde hic minime sunt repetenda; alia quæque vel ab Agnello, vel à Recentioribus tradita tenebris obliterata sunt, ac omnino ignota, quare cùm nil adnotandum veniat, ea intacta Lectori proponenda censui.